

**Disputatio medica inauguralis de animi commotionum vi medica /
[Christian Mentz].**

Contributors

Menz, Christian, active 1700.
Pauli, Johann Wilhelm, 1658-1723.
Universität Leipzig (1409-1953)

Publication/Creation

Leipzig : Brandenburger, 1700.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/xjufgecy>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

J. J.

4

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

De

ANIMI COMMOTIONE NUM VI MEDICA,

Quam

Annuente DEO

Consensu & Autoritate Gratiissimæ Facultatis

Medicæ Lipsiensis,

P R A E S I D E

Viro Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo &
Experientissimo

D O M I N O

JOHANNE WILHELMO PAULI,

Phil. & Med. Doct. Facultat. Medicæ Assessore
Gravissimo,

Patrono & Preceptore maxime devenerando,

PRO LICENTIA

Summos in Arte Medica Honores suo
tempore obtinendi,

publicæ ventilationi

d. 30. April. A. O. R. MDCC.


H. L. Q. C.

submittit

CHRISTIANUS MENTZ, Longo-Saliss. Thur. Med. Baccal.

LIPSIAE, Literis BRANDENBURGERIANIS.

DEO
PATRIÆ
PATRONIS
atque
AMICIS.



PRÆFATIO.

MUtuam adeo necessitudinem non animæ solum & corporis esse, ut incommoda ex æquo invicem partiantur; verum quoque singulas corporis integrantes partes, quas solidarum, fluidarum & spirituum titulo communiter insigniunt Doctores, miram plane inter se colere amicitiam, atq; ab una ex illis læsa statim ad reliqua damnum migrare, tam frequenter observatur in Praxi Medica, ut vix elabatur dies, quin novis experimentis ejus rei veritas confirmetur. Nec aliud commercii vinculum in cunctis his deprehenditur, si versa vice in illis perpendere velimus alterius cuiuscunque in reliquas, saepe adeo notabili ac summe celeri cursu, redundantia commoda, ut, etiamsi omnes simul videantur morbo implicitæ, una tamen ex his restituta, reliquis sponte & subito redeat etiam salus. Non vacat in præsentiarum per exempla ire, ac fusius veritatem aslerti in singulis comprobare, nimis enim prolixum id foret, &

chartarum angustiam, qua solenniter disputatio-
nes includuntur, multum superans; Præterea si
verum fateri velim, omnem humanum captum
transcendere puto, explicare, quomodo anima
immaterialis, hinc certa ratione *ἀπαθῆς*, à re
quadam extensa & materiali, quale corpus no-
strum cum omnibus singulisque suis partibus est,
affici possit, aut quis qualisque ejus sit impetus in
corpus: Hinc frustraneū penitus credidi laborem
in re tali, quam nullo modo assequi mortalibus
licet, ac potius animum applicare cœpi corporeo-
rum partium harmoniæ oppido insigni, & im-
primis, nescio quo fato incidi in Vim medi-
cam, quæ ex animi comotionibus
in Cura morborum plurium oritur, in-
que illa perscrutanda mei quid humeri valeant,
quid ferre recusent, tentavi. Et sic præsens nata est
Dissertatio, quam Tuæ Censuræ B. L. nunc subji-
cio, simul ea qua decet animi submissione rogi-
tans, ut oculo benigno eam adspicere non grave
feras, mihi que favorem concedas, Atheniensium
Dictatorum Autoritate quondam latae Legis, qua
cautum erat, ut primitus exhibita nulla explodere-
tur fabula, ideo, quod Artifices usu demum & ex-
ercitio frequenti fiant, nec statim, ut de Poëtis di-
citur, nascantur.

§. I. Ut

Tigitur viam n. ihi præparem ad debite expli-
candum Vim n. dicam animi com-
motionum, opus erit, praemittere doctri-
nam de nomenclatura & acceptione termino-
rum, quos rubrica tenet. Tunc autem erit, ut One
procedam, explicatu, quid per vim intelligam. Etenim
Vis, s. quod idem est, Virtus in generali sensu sumpta,
significat potentiam sive facultatem rei alicujus, ex qua
ista res effectum quendam præstat actu vel potentia. Ce-
lebratur hinc apud Philosophos varia vis, v. g. supra natu-
ralis de DEo, naturalis de Creaturis corporeis, animata de
homine & brutis, inanimata de metallis & lapidibus, insi-
ta de rebus naturalibus, accessoria de artefactis. Trans-
latus postmodum est hic terminus ad Medicorum quo-
que Scholas, in quibus solenniter medicam seu medica-
mentosam vim dicimus potestatem medendi sive mor-
bos sanandi, quæ in diversis rebus, remediorum no-
mine insignitis, observatur.

§. 2. Vellem nunc, ut mihi etiam liceret eadem bre-
vitate exponere significatum animi commotionum, sed
frustra id opto, nam cum pariter varia sit acceptio vo-
cum harum, necesse est, ut prius eas ab ambiguitate li-
berem. Sumitur vero animus quandoq; pro indole nati-
va, v. g. dum Virg. l. 2. Georg. de arboribus scribit, quod
cultura exuant animum Sylvestrem: Deinde pro auda-
ciæ & desperationis Synonymo habetur ap. Juvenal. Satyr.
6., ubi invehitur in illos, qui iram & animum ex crimine
sumunt: porro, quibusdam animus idem plane est, ac
anima immaterialis, rationalis sive mens, hinc ponitur
pro cogitatione, & dicitur, quod per illum sapiamus:

tandem accipitur pro spiritibus sive materiali vitæ ac sen-
suum principio, vel, ut Aristoteles loquuntur, pro for-
ma substantiali sive anima vegetativa & sensitiva, & hoc
sub sensu etiam mihi præsenti non minus venit. ac
Medicis alias cuncte animi vocatur Deliquiūn.

¶. Rerum adhuc subjicienda in iudi examinis vox
commotionis, ubi nota iubinde accipi pro simplici
motu locali, quando nimirum aliquid est spatio in spatium
transferri. e.g. oculus aut manus; alio tempore com-
movere denotat idem ac excitare, v.g. bellum, tumultum &c:
Veruntamen hæ acceptiones non satis exhauriunt vim
termini nostri, si prædicetur de animo, tunc enim non
iram tantum aut insaniā uti vult Cicero, sed omnia in uni-
versum pathemata & sensationes, jucundas non minus,
quam tristes sive dolores, principio vitæ & sensus im-
pressos, indigitat ex Peripateticorum Willistisque sententia,
quam ipsam nunc quoque meam facio.

§. 4. Patet igitur ex his statim, quodnam subiectum
inhæsionis commotionum animi statuam, sc. materiale
illud principium vitæ & sensuum, quodcum Philosopho
eius sectatores animam sensitivam, alii vero spiritum
hominis vitalem, uti modo monitum, dicunt. Hæ enim
moleculæ, ob texturam summe subtilem, & plus quam
ætheream, præ cunctis reliquis corporis nostri partibus
sunt aptæ, ad impressiones objectorum sensibilium susci-
piendas & transvehendas, imò cum insuper concessam
à prima creationis origine sentiendi, facultatem habe-
ant, etiam illas ad cognitionem objecti determinari, &
vere percipere ac sentire, firmiter mihi est persuasum.

§. 5. Ad asserendum vero hoc adigor, quod animi
commotiones non in hominem solum, sed bruta quoque
cadant, in quibus nullum aliud, præter hoc activum

prin-

principium inesse observatur, à quo effe&us hic possit sperari. Solidæ namque partes non minus quam fluidæ, quascunque etiam in ipsis nobis concipiamus configurationes & mechanismos, propter nimiam materiæ crassitiem ineptissimæ manent manebuntque, quicquid etiam de illarum singulari plane conformatio[n]e quidam e recentioribus somnient: quamdiu enim corporeitas ac crassities insensus incurrens in ipsis deprehenditur, nulla figura, seu sit sphærica, seu cylindrica, elliptica, triangularis, cubica, hexagona, heptagona, polyedrica, & nescio quæ non alia, in se aut sola, ad sensum perficiendum erit apta.

¶ 6. Audio hic equidem Dn. Renatum des Cartes cum suis asseclis mihi occlamantem: falsam esse plane sententiam, de brutorum animi commotionibus, quæ enim, inquiunt, carent sensibus, carent quoque animi commotionibus; Verum, ut libere quid sentiam eloquar, nulla opinio mihi videtur magis veritati obloqui, quam hæc: nam cur natura sensoria adeo exæcte nostris conformia finxit in bestiis si usus eorum nullus est, & bruta machinas fistunt nudas, sensuque destituuntur omni? cur quæso venaticus canis odore solo discit vestigia fugientis cervi, capreoli aut leporis? cur canis herum suum caudæ motitatione aliisque blandimentis, ignotum vero latratu morsibusque excipit? cur esuriens, heri sui manum aut pedem blande vellicat, aut aliis gestibus latrantis sui stomachi signa dat? Alias ut taceam singulares plane actiones brutorum, quales sunt Elephantum ac Simiarum, de quibus Orientalem Indiam peragrantes, stupenda penitus literarum monumentis consignarunt in suis Diariis. Quibus additur merito elegantissima observatio, quam habent *Ephem. Germ. D. 2. A. g. o. 71. p. 115.*

de

de Lupo, qui cicur, catenæ affixus, de nocte pro labitu
millo liberabat collum, & vicinorum cohortes anserum
& gallinarum invadebat, ad auroram vero domum re-
diens nequam, collo rursum affabre neciebat vincula,
donec tandem domestici, ejus vagritiem subolfacientes,
in flagranti delicto eum deprehenderent. Videantur
quoque, quæ pro hac sententia defendenda *Job. Rajus Sy-
nops. method. Anim. Quadrup. p. 5. sqq.* affert. Proinde ju-
re invehi in negantes videtur *Cardanus*, optans, ut co-
gantur mordacis canis crura premere, aut in via inculta
ac salebrosa equo vehi oculis orbo, damno enim suo
ipsos tunc esse experturos, num sentiant bruta nec ne.

§. 7. Nondum si hæc sufficient, provoco insuper
ad S. S. testimonia, non simplicem sensationem tantum,
sed cognitionem, prudentiam & sinceritatem de brutis a-
nimantibus passim adstruentia, quibus tam clare loquen-
tibus fidem adhibere nolle, impium ac nefas omnino est.
Et quid multa? adeo evidens est, brutis inesse animi
commotiones, ut neminem, nisi præconcepta opinio-
ne penitus occœcatum, id fugere possit. Nonne enim læ-
sa dolorem sentiunt, & eapropter vociferantur, aut ira-
scuntur, oculisque, rictu oris, latratu, ac aliis signis in-
dignationem suam sufficienter indicant, & beneficiis
affecta, redhostire illa blandimentis laborant? ut taceam
illorum instinctum naturæ, sive illas actiones, quæ uni-
cuilibet brutorum speciei a primis quod dicitur incuna-
bulis convenient, & naturaliter connascuntur, seque
potissimum exserunt, dum insito quodam impulsu ea
oderunt & aversantur quæ ipsis nocere, & sectantur
aut amant, quæ conferre possunt, aut in sui denique
propagationem abeunt, quæ tota die notare in ipsis
possimus.

§. 8. Ruit

§. 8. Ruit igitur pene sponte hypothesis, quæ solum
animæ rationali facultatem sentiendi, & hinc commotio-
nes vel passiones concedit, argumenta enim, quæ pro
ista confirmanda adducunt, solvi ni fallor facile possunt.
Est autem primum ex illis, quod nulla fiat sensatio sine
cogitatione, quæ unice menti propria sit, & quidem, uti
Philosophi loqvuntur, in quarto modo. Respondeo enim
negando minorem; proprium siquidem in quarto mo-
do, uti notum, omni soli & semper competere debet:
Sed cogitatio de omni anima rationali dici non potest,
nam mihi concipere haud possum, quod infantum in
utero adhuc hærentium, aut etiam recenter natorum,
mens conscientia fiat perceptionum, & super illas reflecta-
tur; nec soli competit, cum & DEo & Angelis illa adscri-
batur in S. Literis, & bruta sæpe suo modo cogitare ob-
serventur, quod *Rorarius* pluribus Exemplis demonstra-
vit in peculiari *Tract.*, cuius Tit. est, *Quod bruta magis*
utantur ratione, quam homines; quibus merito annume-
rantur effectus imaginationis brutorum, oppido simi-
les illis, quales à gravidis fœmellis in fœtum derivantur
subinde: Sic notum est in ovi putamine depictam fuisse
Cometæ faciem, & ex alio gallinæ ovo prodigie pullum
milvino capite præditum, cuius testis est *Job. Marc. Marci*
à Kronland Phil. Vet. Restit. P. III. S. 1. Subs. II. p. 281.; Tan-
dem nec semper cogitat, hinc plura incogitanter fiunt,
non solum nobis vigilantibus, sed imprimis tempore
somni, quem ideo non male *Aristoteles Etic. l. c. 13.* ani-
mæ otium dixit.

§. 9. Secundum illorum argumentum est, quod
corporea anima, qualis sensitiva observatur, vi suæ es-
sentiæ, utpote in sola extensione consistentis, omnino
inepta sit ad sentiendum & cogitandum. Si ad hanc ob-

jectionem licitum mihi est dicere quid sentiam, puto, extensionem animæ corporeæ non reddere eam penitus incapacem ad sensationem, alias ipse *des Cartes Epist. 6.* *P. I. p. 108. Ep. 67. p. 188.* non expressis docuisset verbis, brutorum sensus tantum ex mechanica conformatio- dependere, & *Ep. 54. p. 67. & 69.* passiones in illis natus ve- hementiores longe esse, quam hominum. Sed ne mon- stri quid alere hoc meum assertum forsitan videatur, cla- rius ut me explicem necessum est. Dico igitur, me am- babus concedere, talem cogitationem de materiali ani- ma non posse dici, qualis observatur in mente juxta Car- tesianos, nihilominus primam & alteram ejus operatio- nem, h. e. perceptionem & judicium, suo modo adesse in brutis, ex antea adductis clare liquet, utut tertia & quarta, Ratiocinatio puta ac methodus, vel plane non illi competant, vel non adeo in excellenti gradu, uti ani- mæ rationali.

§. 10. Manet itaque inconcussa opinio nostra de primario animi commotionum subiecto, absolutè spe- cato; nihilominus si in homine eæ considerentur, negandum non est, plerumque concurrere mentis cooperationem, veluti qua motus ejusmodi animæ sensitivæ sive spirituum solenniter determinantur, cor- riguntur, ac compescuntur, idque si acciderit, vix unquam extra orbitas egreditur impetus illorum. Acci- dit tamen quandoque, ut dictamini rectæ rationis re- pugnet anima hæc materialis, & frænum à ratione in-jectum non modo mordeat, sed etiam calcitrando con- tra has habenas, easdem ruinpat, & hinc equi effrenis ad instar quaquaversum feratur; hoc igitur si contin- gat, non solum omnes functiones, à spirituum motu dependentes, turbantur, sed sanguinis rivus reliquo- rum-

rumque humorum cursus quoque in *āræglæs* adigitur, ac ipsi animæ rationali simul alterationes notabiles inducuntur; imò si tandem illa plane superior facta, hanc captivam ducat, miserrima omnino fit hominis conditio, quia eo ipso bestiis non tantum simillimum redditur animal rationale, sed etiam deterius longe evadit, ratio namque brutalis facta, ad omnem excessum ducit, sunt verba *Willisi de Anima brut.* c. 7. p. 64.

§. II. Præmissis his nunc animi commotionum formalitatem, seu ut clarius loquar, notionem, qua mihi illas concipio, tradam: quod vix commodius fiet, quam ostendendo, universa pathemata, quocunque etiam nomine veniant, commode in duas classes dispesci posse. Aut enim in illis spiritus circa objectum aliquod versantur bonum, aut circa malum: bonum si fuerit, delectantur illo, hinc semper ex interioribus feruntur ad exteriora, seu ut stylo recentiorum id efferam, ab intuitu objecti grati in elatere nimis expanduntur: malum vero reformidant, adeoque dum istud fugiunt, se se ex partibus exterioribus recipiunt ad interiora, vel si mavis, eorum elater comprimitur ac quasi figitur.

§. 12. Effectus igitur animi commotionum occurrit in spiritibus, hoc vel illo motu agitatis; semper tamen ille diversus, h. e. plus vel minus talis existit, non solum pro objectorum malitia & bonitate diversa, verum quoque prout hæc mala vel bona aut sunt præsentia, aut futura, aut præterita. Præsentia siquidem omnium vehementissimum motum in illis concitant, qualis etiam non raro est, qui à futuris excitatur, si nimis prope immineant; Quod si vero è longinquo saltem appareant, notabiliter etiam infringitur impetus: magisque adhuc in præteritis, utpote quæ motum imper-

tiunt omnino mitissimum, imò haud raro penitus contrarium.

§. 13. Alter effectus notatur in sensatione ac reflexione super objecta, unde posthac resultant ideæ variæ, quæ subinde diutissime & per longa satis spatia impressæ manent, ac iterum iterumque repræsentantur, adeo ut talia subjecta nil aliud cogitent aut loquantur, nisi animo infixam hanc ideam, maximaque saepius cum pertinacia ac morositate ad versus omnes, qui contrarium defendunt, pugnant. Alio tempore minus infixæ hærent impressiones, sed brevi interposita mora cunctæ rursus dimituntur, sic ut ne tantillum restitet, quod Memoria suo tempore reddere possit. Sicuti vero in priori casu vix aliter fieri potest, quin summa inferatur injuria functionibus cunctis, ex commotione ista spirituum summa: ita in altero aut penitus nihil sequitur sinistri, aut tam celeriter omne dissipatur iterum, ut non mereatur considerari.

§. 14. Tertius effectus in fluidis corporis partibus se manifestat, quæ quandoque exagitantur & summo cum impetu per universum illud moventur, sic ut inde vel tumeant solum notabiliter vasa, vel ab ebulliente nimium sanguine, æstus & Hæmorrhagiæ gravissimæ nascantur; Ab aliis plane contrarium accidit, nempe fistitur humorum motus, imò textura & fluiditas nativa ab ipsis simul tollitur, unde facies pallescere, & motus organon contremiscere, corporique universo extremum non raro periculum imminet.

§. 15. Quartus effectus in solidis conspicitur partibus, imprimis nervis & fibris motricibus, quæ distenduntur, moventur, ac concutiuntur saepè gravissime, ab huc vel illuc fluentibus spiritibus. Hinc oriuntur, nobis insciis, & saepè invitis, miræ istæ, solennes tamen, oris,

oris, manuum, pedum, pluriumve internarum partium commotiones, e. g. ut indignabundi, cum impetu pedes allidamus terræ; gaudentes, cum jubilo subsultemus, erexitisque supra caput brachiis cachinno solvamur; mœrentes, frontem corrugemus & suspiria ducamus frequentia; timentes fugiamus, cum tremore artuum; irati, furiis agitemur; rem despicientes, labia & nares contorqueamus; & imprimis oculos ad quasvis perturbationes ita pene solenniter conformemus, ut ex illis nostri animi sensa legi, & quasi in speculo cerni ab adstantibus prudentioribus facile valeant. Quid, quod insuper facto hoc spirituum impetu, indeque orta fibrarum commotione, circumfluentes humores nunc urgeantur ac trudantur quaquaversum, nunc versa vice, à contrario spirituum fluxu & retrocessione à peripheria ad interiora, constrictis fibris & tubulis, in suo motu impedianter, imo penitus fistantur.

§. 16. Sed ne quis forsan pro figmentis & mero ingenii lusu habeat, quæ modo de animi commotionum formalitate differui, experimentis quoque rem declarabo, prius tamen nomina præcipuorum horum affectuum erunt recensenda. Sc. affectus animi, qui circa objectum gratum, illudque præsens, versantur, sunt imprimis Ira, Gaudium, Voluptas, Amor cum fruitione conjunctus; qui bonum objectum, futurum tamen, habent, nominantur Spes, & Desiderium &c.: Ingrata præsens idea in Terrore, Dolore, Odio, Tristitia, Invidia, Desperatione; & futura in Metu & Audaciâ deprehenditur: Præterita denique objecta mala itidem Voluptatem ac Gaudium, Exultantium &c.; bona vero Dolorem & Tristitiam concitant &c. Cuncta igitur, quæ in præcedentibus de dupli motu spiri-

tuum, aliisque effectibus exinde oriundis monui, facile de singulis his pathematibus comprobari possent, nisi nimis prolixum id esset, sufficiet proinde demonstratio in Ira & Terrore, tanquam commotionibus omnium impetuosissimis.

§. 17. Prodeat hinc homo ira suffusus, sive enim in illo species ruborem faciei subito excitatum, sive oculorum micationem, sive Vultum horridum, sive musculos per totum corpus subsultantes, sive pulsus magnum & vehementem in arteriis concitatum, sive sanguinis profusionem non raro satis enormem, ex vasis ruptis natam, sive alia plura Symptomata, ubique sane reperies, quæ, nisi præconceptæ opinio-
nis peplo penitus fueris occœcatus, clare ac distin-
cte, prædicti spirituum ex interioribus ad exteriora motus, ideæ furiosæ ipsis impressæ, agitationis san-
gvinis impetuosæ, commotionis & constrictionis fi-
brarum signa, suggerunt evidentissima.

§. 18. Nec aliud quid, nisi retrocessionem & fu-
gam spirituum ex peripheria, ideam maximè timi-
dam ac desperabundam, sanguinis modum inhibi-
tum, ejusque coagulationem factam, tandemque fi-
brarium vel rigescientiam, vel tremulam vibrationem,
deprehendes in homine terrore perculso, utpote cu-
jus genæ cadaveris in modum pallefunt, manus, pe-
des, motusque organa reliqua rigent aut tremunt,
sangvis tardius aut plane non circulatur, diaphrag-
ma uno sed lento tenore subinde deprimitur, (unde
suspiria formantur & gemitus) respiratio gravior fit,
lingua torpescit, saliva inviscatur, vox faucibus hæ-
ret, ut reliqua taceam concomitantia aut consequen-
tia symptomata.

§. 19. Pa-

§. 19. Patet sic mea de commotionibus animi
sententia, quam ideo tam prolixis verbis præmittere
sum coactus, ut imposterum sine offendiculo in ex-
plicanda earum Vi Medica mihi liceat progredi, quam
nunc absque ulteriori ambage explicandam mihi su-
mo. Cum autem, uti jam ex parte monitum est,
Vim hanc Medicam animi commotiones in omnes
corporis partes exferant, adeoque ex morbis Humo-
rum non solum, sed solidarum quoque partium ac
spirituum plures potestate ejus agnoscant, seque
fascibus his lubenter submittant, de singulis his ne-
cessum est differam fusius ac specialius.

§. 20. Incipiam ab humoribus, & quidem primo
illorum motu deficiente. Quid notius est, quam à
Gaudio, Lætitia, Jubilo, Verecundia, similibusque
affectibus, pallidum faciei colorem cum roseo ac vi-
vido penè in momento mutari? quod non ex alia
causa mihi provenire videtur, quam quod torpescens
sangvis ad rapidiorem disponatur motum, per agita-
tos ab his pathematibus & animi commotionibus spi-
ritus. Ast semper magis conspicuus fit effectus hic,
pro majori vehementia commotionum prædictarum,
adeo ut non mirum, si sangvis in articulationibus sta-
gnans, Arthritidemque aut Podagram in illis produ-
cens, Iræ beneficio fuerit excussus quandoque, &
inde oriundus dolor consopitus, cuius exemplum
habet Harst. l. 3. p. 2. o. 8 de viro summe podagrico,
ipso paroxysmo injuriosis verbis à milite in-
contentionem vocato, qui, utut isto tempore vix
pedes de loco movere poterat, tamen exinde ira in-
cendebatur tanta, ut de lecto subito surgere ac in cri-
nes jurgiosi antagonistæ involare habilis redditus fue-

rit. Simile quid refert *Peclinus Obs. Phys. Med.* p. 464. de podagrico tubicine, ex vehementi partis affectæ ad lecti postes allisione, à Medicastro nequam facta, in iram & furorem rapto, ejusque ope ex tempore sanato. Omittam alia exempla, qualia idem Autor *i.e.* refert de diversis belli ducibus, podagrico paroxysmo liberatis, eo momento, cum in aciem cum hostibus esset descendendum; illis namque non est opus, cum ex his satis appareat, pravos humores, firmiter licet impactos, effreno isto spirituum motu è sedibus suis fuisse deturbatos.

§. 21. Nec aliud quid de sero annotatur in motu suo impedito, nam & illud per vehementes animi passiones ex voto quandoq; ad motum disponitur, Veterusque illi inhærens, hac animi pathematum asperitate excutitur. Dudum id cognoverunt Medicorum Principes *Hippocrates* & *Galenus*, dum in frigidis morbis iram remedii loco laudant; quorsum etiam spectat consilium *Cratonis L. 6. Consil.* Illustri cuidam Principi paralytico datum, cui inter alia levis excandescens comendatur. Et ne sola speculatione inniti assertum hoc appareat, en experimenta: *Horstius L. 3. Conf. Ep. f. 12.* ab Hildano sibi communicatum refert, quendam virum à tribus annis paralyticum, cum nocte quadam urbem, quam inhabitabat, ab hostibus captam intelligeret, è vestigio in tantum furorem actum esse, ut cum civibus suis pugnaturus è lecto prosilierit, & strenue steterit in acie, ab omni morbo liberatus. Concordat cum hoc *Valeriola bistoria L. 2. o. 4.* exhibita, de viro multis annis, pedum usu ex hoc morbo destituto, qui vehementer excandescens, cum incensis ædibus nullus famulorum succurreret ipsi, durissimo namque hoc necessitatis telo adactus præcipi-

tem

tem se per fenestram dedit, indeque perfecte convalescuit. Et tali excedentia Titi Vespasiani filium quoque à partium resolutione liberatum refert *Cratol. c.*

§. 22. Quod de ira nunc adstruxi, id à Gaudio & Risus itidem est observatum. Gaudio namque podagricos dolores esse consopitos, Autor est inter plures alios *Nic. Pecclin. c. 3. o. 26. p. 467.* adducens virum, cui oblati Consulatus nuncium, quod officium Vir hic dudum anhelaverat, podagricos dolores, per aliquot septimanias jamjam tyrannidem suam exercentes, aufererebat, pedibusque potentiam pristinam reddebat in instanti. Huc referri quoque meretur cura Podagræ per Musicam, cuius testimonium reperitur apud eundem Autorem *p. 472.* Quis enim dubitat in binis his ægris īdeam gratam vel ex læto illo nuntio vel soni eutonia ac dulcedine in spiritibus excitatam effecisse, ut ipsi jucundo hoc sensu afflati, causam morbificam, h.e. stagnantes humores æquali suo placidoque motu dissipaverint? Imo alias præterea morbos dolorosos Musica sola deliniri posse, exemplo suo Carolum IX. Galliarum Regem solenniter comprobasse, referunt Gallicæ Historiæ Scriptores.

§. 23. Ritus quid valeat in his affectionibus, planum facit *Laurentius de Medices*, de quo *Chronicon Spirensse* refert, eum ex recitata sibi historia quadam lepida ad risum fuisse invitatum adeo salubrem, ut lethalium dolorum & symptomatum omnium fuerit oblitus. Egregia quoque est observatio relata in *Eph. Germ. D. 2. A. 1.* o. 1. de quodam Musico Melancholia gravissima correpto, cui, pharmaca cuncta respuenti & nihilominus ea anxie poscenti, Medicus cantici illius ecclesiastici: *Vomt Himmel fram der Engel Schaar ic. clausulam, quæ sic*

sonat: *Gedultig / frölich allezeit / una cum ejus usitata*
melodia in charta remedii loco notabat; qua formula
inspecta in tantum solvebatur cachinnum æger iste, ut
perfeæte restitutus, ista statim hora grabatum relique-
rit. Desino igitur mirari, cur Hypathenses in Thes-
salia una cum Spartanis & Romanis risum pro Deo
coluerint olim, & tibareni summum bonum in hoc
affectu constituerint, cum dolores non minus, quam
Melancholiæ adeo feliciter pellat.

§. 24. Sequitur nunc vis Medica commotionum
animi, in nimio humorum motu suffflaminando ac
compescendo. Nota est in vulgus terroris potentia in
Hæmorrhagiis narium sistendis, dum adstantes nuchæ
ægri frigidam affundunt ex improviso, aut alio strepitu
excitato, v. g. bombardæ explosione aut voce stentorea
terrorem istis incutiunt. Ipse id aliquando notavi, cum
virgini sponsæ tusa esset vena in talo, sanguisq; cum saltu
prorumperet desiderato, ex sponsi inexpectato ingressu
omnem istum fluxum incantamenti ad instar cohhibitum
esse, sic ut ne guttula, quicquid etiam ageret Chirurgus
follicitus, ulterius potuerit elici. Frequentissimæ hinc
audiuntur fœminarum querelæ de mensibus per ter-
rorem suppressis, possemque, si opus foret, plura ex-
empla mihi nota referre, sed satis puto tantum addu-
xisse, *Epb. Germ. D. 2. A. 8. p. 385. Rofsinck. Epit. Affect. Par-
tic. l. 14. Pecblin. l. 3. o. 24.* Causam phænomeni hujus si
cupias, dico, quod Spiritibus per terrorem ad cere-
brum retropulsis, isti non ulterius debite influant ad
cor, à cuius tamen vigore & activitate localis sanguinis
motus dependet porrissimum.

§. 25. Insuper tamen terrore aut similis indolis
pathemate mutatur tota spirituum crasis, quo ipso etiam
sangvi-

sangvini novam inducit texturam necesse est, vel ut clarius loquar, coagulatur statim hic, si ipsum deserat elater vitalis, terrore compressus; nisi enim temperamentum ægri & justa fluidorum mixtio in illis adsit; (quam tamen à priori vix clare & distincte judicare possumus) sæpe loco remedii terror fit causa mortis, *Confer. obs. Dn. D. Hoyeri* quæ legitur in *Eph. Germ. D. III. a. III. obs. 47. p. 54.* aut saltem pessimis & lethiferis Symptomatibus dat ansam, prout *Excellentiss. Rivinus* in *Tr. de Peste Lips.* fusius circa explicationem originis & propagationis hujus morbi egregie demonstravit. Proinde moderatam tantum coagulationem sangvinis a terrore, mœrore, ac timore postulamus pro sanandis morbis, cuius felix operatio nititur non solum observationibus §. præc. adductis, sed aliis in super, è quibus adhuc commemoro *Gabriel. Clauderi*, in *Eph. Germ. D. 2. a. 5. o. 196.* relatam, de fœmina diu vexata ebullitionibus sangvinis, de die non solum molestissimis, sed etiam de nocte somnum per quam inquietum reddentibus, quas mœror ex adversa fortuna natus, præter intentionem paulo post sustulit omnes.

§. 26. Sed uti nominatæ nunc commotiones spirituum fluidas sangvinis partes coagulant; ita dantur aliæ, quæ resolvunt spissos & crassos humores, è quibus præ omnibus ira venit nominanda: Facile hinc subscribo citati modo *Clauderi* sententiæ, quam in allegata observatione proponit, nempe ira mediante reviviscere balsamum vitalem in senibus, quatenus mucosam phlegmatis visciditatē, illum solenniter suffocantem, discutiat. Ideoq; non alio ex fundamento gaudiū saluberimum dicit *Fernelius* senibus, & vitæ sedentariæ deditis, aliisque, quibus humorum coagulum fixos pro-

ducit morbos. Suppetit nobis testimonium celeberrimus *Peyreskius*, prout à *Gassendo in vita ejus* proditur, hic enim, cum aliquando Rheumate insigni, simulque renum dolore laboraret, & alia vice ex levi Apoplexia paralyticus factus esset, primum effectum, per lectio-
nem præfaminis *Glossarii Archelogici Henrici Speelmanni*, propulsavit, ex altero vero per literas celeberrimi *Tbuanicū* gaudio letas, & cantum hymni, in honores Lilii Rosæque compositi, rediit ex voto in gratiam cum sanitate adversa, in isto temporis puncto: nam aphonus hucusque, cum laudes decantare hymni dicti vellet, recepit libertatem non lingvæ tantum, sed omnium membrorum antehac resolutorum. Addi his casibus meretur cura Jēteri per gaudium concitatum in quodam, cui nuntius referebat, ipsi jam Seni, filium esse ex conjuge juvencula natum. *conf. Pecblin. p. 467.* Nec novum est, Cachexiis felicissime succurri, statim ac ægris animusredit, antea curis aut aliis objectis adversis pressus; hinc Venus etiam non raro medica obser-vatur, virginumque aufert colores fœdos. *conf. Aeginet. l. I. c. 35.*

§. 27. Sed velim itidem hic' notetur, spiritus vim suam in persanandis morbis, non semper solum resolvendo humores, exerere, sed simul imminuendo vere quantitatem eorum abundantem, dum eam nunc insensibiliter consumunt, nunc verò ad emunctoria naturalia transferunt, aut per vasa erupta exturbant. Ad primum effectum, h. e. *consumptionem* minus sensibilem, comprobandum, testem voco *Hipp. l. 6. Epid. Com. 5. text. 23.*, ubi Venerem Catarrhalium morborum curatricem pronunciat, illudque exemplo *lib. 1. Epid. text. 71.* confirmat & alio *lib. 1. de Diæta*, Timocharum nempe, Co-ryza

ryza laborantem, Veneris usū curatum esse, quod ipsum quoq; confirmat *Eginetæ* observatio loc. modo cit. adduta, de diurno alvi fluxu Venere exsiccato, & *Amati Lusitani*, qui ipsam Dysenteriam impudico congressu esse satanā, *Cent. 2. cur. 47.* prodidit. Pro Altero autem stabilien-
do, provoco ad Diarrhœas biliosas & Vomitum, quæ in subjectis quamplurimis oriuntur à vehementi ex-
candescētia, *conf. Ridlin. Lin. Med. A. 4. p. 912.* Huc re-
fero etiam curam Gonorrhœæ vel Pollutionis noctur-
næ, à Coitu reiterato expectandam, in illis præpri-
mis subjectis, quæ non tam à debilitate harum par-
tium, quam copia vel seminalis liquoris in prostatis,
vel seminis in vesiculis seminalibus, morbos hos con-
traxerunt, de qua *vid. Forest. l. 26. o. 11. Campanell. Medi-
cin. l. 6. c. 20. Art. 4.* Pro ultimo tandem militant san-
gvinis profusiones plus minus enormes per nares, u-
terum, hæmorrhoides, aliaque plura insveta etiam
loca, v. g. gingivas, labia, oculos, aures, imò per u-
niversum corporis habitum, factæ, post iram gaudium,
terrorem, timoremque, de quibus tot prostant exem-
pla apud Practicos, ut nimius essem, si loca ac nomi-
na eorum darem.

§. 28. Num vero humorum quantitas deficiens
pathematum & commotionum ope restituatur, pa-
radoxum videri posset intuitu primo, nihilominus,
quemadmodum nemo dubitat, humorum laudabili-
um depopulationem fieri per Amorem, Studium ni-
mium, & imprimis per Curas, Sollicitudinem, at-
que Mœrorem, sic ut Curæ *Ovidio* depopulatores ar-
tuum jure audiant, & alijs Poëta de Studio nimio
canat:

Si pallere cupis, & contabescere morbo;
Et vulgo fieri fabula longa, stude;

ita ex opposito, animum tranquillum & à curis omnibus liberum augere laudabiles humores, & plethoram frequentissime generare, imò & nimiæ obesitati ansam præbere, adeo certum est, quam certissimum. Quid enim quæso frequentius observamus, quam juncei habitus juvenes utriusque sexus, svari maritalli vinculo ligatos, dum sc. ex voto ipsis cedunt res familiares, brevi pingvescere, & sæpe monstrosè obesos fieri intra breve tempus?

§. 29. His absolutis circa vim medicam animi commotionum in cura humorum, pergo ad demonstrationem efficaciæ earundem in solidis partibus. Utí vero variæ istæ sunt, si texturam & conformacionem spectes; ita etiam effectus diversus pathematum est in illis. In ossa & cartilaginiæ vix, imò ne vix quidem, immediate agere observantur, è contra vero in nervos & nervosas partes, postmodumque in fibras motrices ac membranas adeo evidens est hæc illarum potestas, ut observationum Centuriæ, si necessum foret, negotio haud difficiili produci possent.

§. 30. Imprimis tamen ex his animadversione digna est vis referandi obstruktiones. Supra jam curam Podagræ ac Paralyseos per excandescientiam, hujusq; generis alia adduxi exempla, pro demonstranda efficacia, quæ commotionibus animi ineſt, dum restituit humores vel deficientes in motu, vel peccantes qualitate, quæ cuncta pro confirmanda hac sententia simul militant. Clarius tamen adhuc à priori eam probant carnearum, membranofarum, nervearum, & ex his compositarum partium, ab animi pathemati- bus

bus & commotionibus factæ inflationes, juxta ac inde oriundæ constrictiones plus minus notabiles, harum enim ope excutiuntur & protruduntur non solum infarcti peccantes humores, verum si forsan, stylo Antiquorum, intemperies sine materia in tubulis occurrat, sive ut clarius loquar, si tantum exsiccatæ aut crispatæ vel spasmo correptæ deprehendantur, non minus illa quoque vitia expansione vitalis elateris per animi commotiones tolluntur feliciter.

§. 31. Effectus hic manifestissimus fit in cura alvinæ suppressionis per metum; exemplum tale habeo à Viro quodam fide digno, qui novit Virginem Nobilem, quæ toties ac imminet aëris tempestas, Diarrhoea vexatur, adeò, ut hac de causa tempora frequentare æstivo tempore non audeat, ne turpiter sedare cogatur, si forsan ex improviso cœlum fulguret aut tonet. Simile quid alii annotarunt in viris robustis, & militibus intuitu primo fortissimis, nam cum esset pugnandum cum hostibus, statim à signo prælli dato, alvus solvebatur timidis his, sic ut braccas replerent sordido onere, non sine risu ac sibilo commilitonum. Quod ipsum in fœmina quadam illustri se pariter annotasse refert Ridlin. in Lin. Med. A. 3. Mens. Apr. lin. 6. p. 219. quæ, stypticitate alvina solenni laborans, toties, ac terror vehemens sibi animum percuteret, ab importuna illa sarcina liberabatur, conf. insuper Epb. Germ. D. 1. A 9. § 10. p. 244.

§. 32. In aliis Ira ex eodem plane fundamento solvit alvum; Exemplum nobis referunt Naturæ Consulti de mustela sylvestri seu Viverra, quæ provocata ad iram feces alvinas, foetore insigni imbutas, rejicere in persecutores dicitur, seseque eo ipso

ab illorum insultu liberat. Quale quid de alio quoque animali Americano, cuius nomen excidit, me legisse recordor. Stabilitur insuper assertum observatione, *Paullini* 92., quæ legitur in *App. ad Epb. Germ. D. 2. A. 5. p. 57.* de Ludi moderatore, qui, quamprimum discipuli vel domestici peccarent erga eum, aut acerbitate aliquam illi afferrent, subito excrementa alvi egerebat.

§. 33. Simile quid etiam à risu notamus produci; testes prodeant *Epb. Germ. D. 2. A. 3. o. 12. p. 20.* sistentes fœminam, quæ nunquam alvum exonerare valebat, nisi profuse in cachinnum excitata, hinc familiares vel joco aut alia re delectabili, liberaturi misellam à scybalis, affectum hunc promovere semper cogebantur: Si ne dubio vero non solum diaphragmatis motui impetuosi ad inferiora in acceptis est ferenda hæc operatio, utpote quo intestinis stimulus additur & calcar, ut oxyssime egerant conclusas fæces: sed simul etiam in ipsis spiritibus exultantibus culpa hæret, quare solenniter videmus, animum serenum & lætum purgantia remedia egregie promovere, & è contra tristem, remorari, sæpeq; penitus cohibere ea. *vid. Pechlin. obs. p. 464.*

§. 34. Ab intestinis venio ad stomachum, cuius motrices fibras Spirituum impetu ad inversum peristalticum motum disponi, vomitumque eo ipso nasci, palam est. Quis nescit, nauseam stomachique eversionem ex aspectu alterius vomentis, vel narratione rei sordidæ excitatam, aut si alimenta non rite cocta vel aromatisata, aut minus usitata, vel penitus sordida exhibita fuerint, aut saltim, ac si propinata essent talia, falso nobis persuadeantur, sæpe tantum ac tam gravem gigni Vomitum, ut vix remediis compesci impetus iste valeat? Nec latere potest similem frequenter sto-

stomacho imprimi impetum, ab ira & vehementi ex-
candescentia, alioque tempore à Musica, de quibus ef-
fectibus merentur legi *Ridlin.* *Lis. Med. A. 4. p. 912.* *Epb.*
Germ. D. 3. A. 3. o. 182. p. 317.

§. 35. Subjungo his vesicam urinariam, cuius sphin-
cter in quibusdam subjectis solenniter risu excessivo la-
xatur, ob nimium constrictas fibras ejus motrices car-
neas, tunicam medium efformantes, qualem historiam
in Collegio Casuali privato *Experientissimus Dn. D. Langius,*
Præceptor meus fidelissimus, recensuit, de quadam
puella, cui involuntarie à risu semper fluebat lotium,
nisi fasciis ventri arcte circumiectis munita incederet,
utpote quo unico medio hucusque admodum rebelle
malum suffflaminari potuit, dubio sine ob cohibitum
in muscularum abdominis enormem motum, quo uri-
naria vesica alias comprimebatur. Concordat cum hoc
exemplo illud, quod in *Act. Haffn. Vol. 3. p. 15.* legitur de
virgine, quæ non mingebat, nisi ab ancilla simul min-
gente admonita, vel facetiis & jocis ad affatim **riden-**
dum invitata. In fidem maiorem adjungo historiam
in *Epb. Germ. D. 2. A. 9. o. 61.* adductam, de Comite quo-
dam, quem pertinax Dysuria per aliquot dies lecto af-
fixum tenuerat, donec terrore vehementi incusso, ex
incendiariæ campanæ sono percepto, visaq; simul in pro-
xima vicinia ingenti flamma, curatus ab illa fuerit. Si
lubet, adde etiam illum casum in modo citatis *Epb.*
Germ. D. 3. A. 7. o. 180. annotatum, de matrona & ex illa
natis aliquot filiabus, quæ omnes vesicam levare nun-
quam poterant, nisi audito stillicidio aquæ ex gutturnio
in suppositam pelvim delabentis. Ex quo ni fallor fun-
damento Ischuriā eam octiduanam quoque solutam
puto, de qua videantur *Epb. Germ. D. III. a. 1. o. 131. p. 226.*

Cum enim illa nulla attenderet remedia, lege artis præscripta, tandem sanata est à Gryllis campestribus vivis, sub genubus ægri ligatis, ita, ut libere progredi, partesque has sensatas titillare potuerint.

§. 36. Seqvuntur jam phænomæna in utero occurrentia. Non referam in præsenti mensium fluxum nunc suppressum, nunc excitatum peranimi affectus, ne crambe biscocta apposita nauseam moveat; Non possum tamen præterire Vim Medicam in partu facilitando maxime conspicuam. Certe, quemadmodum timor & metus, indeque nata pusillanimitas, dum sc. puerpera DEo viribusque suis plane diffidens deprehenditur, non aliam nisi infelicem *κατασχοφην* promittit: ita econtrario ejus animus erectus, hilaris, Deoque fidens, faustum exitum pene solenniter pollicetur. Parant vero illum solæ adhortationes, aut oscula tremebunda à marito inflicta, sæpe felicius, quam confortantium ac Analepticorum apparatus omnis; Quod si nihilominus istis solis pectora hæc meticulosa mulceri non valeant, aliis mediis id subinde obtinemus, quæ tamen nullis innatis operantur viribus, sed saltim quod fiduciam augent, dum sc. effectus infallibiles loquaces mulieres, aut similis farinæ medici de illis prædicant. Refero huc Ætitem, aut oculum leporis mense martio capti, vel frustum cutis Tygridis, pedibus illarum alligata, aut si alio tempore pueræræ fructus momordicæ, donec sponte dehiscat, manu detinendus datur, vel haustus vini cui prius aliquandiu Hierochuntica rosa immersa fuit: Præ omnibus tamen animi commotionibus laudem meretur risus in hoc casu, quippe, cuius quassationibus partus conatus novi provocantur, matrem uterumque onere suo vel soli liberaturi.

v. Pecblin. Obs. Med. Phys. C. 3. o. 28.

§. 37. Non

§. 37. Non igitur mirum , si aliquando interniabscessus, cuncta remedia fere eludentes, his etiam auscultent animi commotionibus, & inde excitatis concussionibus. Circumfertur historia de Patre quodam purpurato Romano, expulmonum Vomica, mortis candidatorum albo à cunctis domesticis inscripto, qui tamen ex simiæ præsentis ridiculis gestibus in risum se se effundens, rupit Vomicam , cum sanitatis recuperatione. Non minus probationis loco inservit observatio rupti abscessus cerebri , excitato in ægro insperata occasione risu , quæ legi potest ap. Binninger. l. 3. o. 47. p. 307. Et omnium maxime casus Studiosi cuiusdam , vulnerati inter tertiam & quartam costam , qui ex sanguine intra thoracem effuso, nullisque remedii auscultante, certo certius periisset, nisi in risum casu quodam solutus, concussione ista organorum respiratoriorum ejecisset hospitem hunc importunum , eaque pulmonibus spatum se se explicandi denuo dedisset necessarium. vide sis Pecblinum.

§. 38. Aliæ leviores obstruções referantur non solum citius, sed quoque frequentius. Sic terrori subinde cedit inflamatio, cuius invenitur testimonium apud Rolfinck. Epit. Aff. partic. l. 14. f. 3. c. 12. Hinc motus impotentia ex hac causa orta huic passioni animæ etiam submittit se & fugit non raro. Docebo id ex memoria Pecblini l. 3. o. 24. p. 454. & Salmuth. l. 1. o. 48., qui uno affirmant ore, se hoc animadvertisse. Nam cum juxta priorem pro discutiendo tumore pedis à Medico Spiritus articularis ad extra jussus esset applicari, isque ad ignem ab imprudenti ministro proprius admotus flamam suscepisset, interulaque inde accenderetur, terrore adeo perculsus est æger , ut exsiliens è lecto fuga sibi consulue-

rit proutius. Alter autem refert, cum cuidam ægro cataplasmata pedibus circumjecta, importunè morsu auferret Sus, hypocaustum ingressa, tam graviter eo ipso esse commotum, sive terrore sive ira, ut illa adhuc die didicerit, insistere pedibus, antehac ad corpus sustinendum penitus ineptis.

§. 39. Et licet alias scirrhosi & carnosi tumores magis deprehendantur rebelles, saepiusque per longum tempus cuncta conamina Medici & Chirurgi eludant, tamen a terrore etiam hos disagregatos esse vide-re est apud *Pecblinum*, qui C. 3. o. 24. de Medico quodam rarissimum hunc casum refert, scilicet in illo carnosam herniam unice terroris ope esse sanatam. Nec minus in aliis partibus tumores cedunt ad contrectationem & attactum manus cadaverosæ, quod probo testimonio *Soc. Reg. Anglicana Transactionum p. m. 156.* de Verrucis hac methodo curatis, coquus enim aliquis, cui manus erant obsitæ fœdis his monticulis, frictione manus Hen-ri sui demortui feliciter illos abegit. Confirmat hoc observatio *Wedelii in Epb. Germ. D. 1. A. 2. o. 11.* & *Samuelis Ledelii in iisdem Epb. D. 2. A. 2. o. 142.* exhibita, qui strumas tali contrectatione ex voto sublatas esse perhibent. Collimant etiam huc, quæ *Helmontius refert Tr. Demens idea.* §. 40. de methodo auferendi stigmata fœtui olim à matre impressa, sola admotione manus hominis longa tabe extincti.

§. 40. Sed missis his, pergo nunc ad Curam morborum, quæ fit per partium solidarum extensionem, inflationem ac turgescentiam. Possem, si vellem, facili negotio satis prolixum catalogum recensere, sed sat is erit adduxisse, à dolore, excitato per verbera, vel natibus vel ipsis genitalibus, inficta, impotentiam virilem

Iem curatam esse in pluribus subjectis, quod argumentum prolixo & pro more egregie dilucidatum dedit *Meibomius* in *Ep. de Uso virgarum in re venerea*, cui adde *Responsionem Bartholini* de hac materia editam ad filii Meibomii Epistolam, it. scriptum *Paulini de Curam orborum per verbera*, in quo copiosissima reperiuntur exempla, quæ sufficienter fidem facere dictis possunt. Adjungo his exemplis illam restitutionem subitaneam crurum, per aliquot annos contractura laborantium, cujus mentionem injicit *Valeriola l. 2. obs. p. 82.* Vir namque aliquis nobilis ira, eaque vehementi, perfusus in famulum profugum, quem plagis cædere nitebatur, corpus tam potenter exagitavit, ut confessim distentis crurum nervis, poplitibusque emollitis, sine tristi sensu incedere, & eretus stare fuerit visus. Et quid obstat, quin hoc in loco etiam apponam historiam, quam *Herodotus* de Croesi filio narrat, illum nempe, nativo lingvæ ac vocis proferendæ impedimento affectum, cum Persi dem quendam (alii referunt *Cyrum Regem*) in Crœsum Patrem irruere velle videret, ira ac metu percitum, vocalem evasisse, altaque voce clamasse: Homo, ne Regem interimas, vel ut *Valerius Maximus* refert: Parce Parenti meo, Cyre, & te hominem esse casibus nostris disce.

§. 41. Clauderem nunc sectionem hanc, nisi mihi adhuc incideret notabilis vis animi pathematū in partibus solidis, suis de sedibus turbatis, restituendis. Possem ipse allegare virum, cujus os humeri luxatum, quod Chirurgus indoctus reponere, per trium septinanarum spatium, non poterat, superveniente terrore subitaneo extempore sedibus suis magno cū agrotantis subsequentे gaudio, reddebatur. Nec prætereundum, Herniam ad Scrotum

delapsam terrore intus suscipi, quam observationem ex communicatione Viri cujusdam Consultissimi habeo, qui olim graviter descensu tali intestinorum decumbens, per hoc animi pathema restitutum se perfecte esse, gaudet adhuc dum. Et uteri procidentiam sanari sic posse, dudu docuerunt *Avenzoar & Alcaceris*, Medici Arabes, e quibus illud repetit *Zac. Lusitan. l.2. o. 95.*; jubent vero hi, ut capite declivi collocetur ægra, & insciæ ad denudata crura lacertæ vivæ ac inures alligentur, qui per femora vagantes, terrorem vel metum incutient, cum repentina uteri reduktione. Quod experimentum revocat mihi in animū, illud vulgi, dum ani prolapsum in infantibus restituunt, percussione clunium cum manus vola.

§. 42. Devenio jam ad vim medicam animi commotionum demonstrandam, quæ in spiritibus morbos se manifestat. Primo igitur excitant spiritus torpidos, hinc suprajam monui de ira, in senibus illam, si modo non adeo frequens aut enormis fuerit, remedii loco esse pro resolvendis humoribus nimium spissis; addo nunc, pro spiritibus ex naturali decremento torpidis, rursus quodammodo exfuscatandis, affectum hunc esse egregium. Idem hoc à Gaudio expectandum, utpote quod moderatum, novam quasi vitalitatem reddit, ac ætatem floridam facit. Nec terrori ac dolori vis hæc deneganda est, nihilque refert, per quodcunque sensorium externum terrificum illud aut dolorem inferens objectum comunicetur.

§. 43. Auditus specimen exhibet *Blegny in Zodiac. Gall. P. 4. p. 34. sqq. in Edit. Germanica*, recensens de quodam belli duce qui nunquam admittere poterat Venæ Sectionem, quin semper incideret in Syncopen gra-

gravissimam, quam tamen avertere posthac didicit, tympanorum bellicorum strepitu isto tempore pulsatorum: Constat etiam hoc ex historia, relata ab *Hünerwolfo in Epb. Germ. D. 2. A. 7. o. 17.* de quadam matrona, quæ parere nunquam poterat, nisi excitato campanarum sonitu, quo mirifice semper delectabatur; His addi potest Consilium *Villanovani Breviar. l. 4. c. 11.* qui pro discutiendo Veterno, jubet, ut suspendatur pedibus posticis ad postes lecti, prope caput ægrotantis, Sus, & stimulis posthac irritetur, horenda enim anima-
lis hujus vociferatione omnem torporem subito excutī posse testatur sanctissime.

§. 44 Visus exempla referunt *Nic. Tulpus l. 1. o. 41.* &
Diemerbrock Obs. Curat. 10. p. m. 9. à fulminis nempe horren-
do lumine, intempesta nocte cœlitus demisso, ita esse
exsuscitatam in binis subjectis vim elateris vitalis, iner-
tem antehac & penitus imbecillum, ut, licet in priorica-
su per tres, & in altero per 40. integros annos, nun-
quam par fuerat, fibris motricibus robur addere ad lo-
quelam, & motum corporis necessarium, tamen isto
momento tam valentem esse factam, ut utramq; functi-
onem ornare pro lubitu potuerint, antehac miserrimi
homines.

§. 45. Quoad Olfactum, provoco ad Odoramenta,
imprimis volatilia ex improviso naribus admota, qui-
bus insigniter perterriti spiritus exsuscitantur; sunt ta-
lia Sal vol. urin. C.C. Sp. Sal. Ammon, recens cum Calc.
viv. aut cin. clav. factus, vel miasmata ex pennis perdi-
cum, vel anserum, vel corio, pice, sulphure, Verrucis
ac Ungulis equorum, raspatura Cornu hirci, simili-
busque pluribus supra carbones candentes positis, e-
missa, utpote quibus præconium ac laus præ cunctis
aliis

aliis excitantibus merito competit, cùm ægris, omni sensu ac motu in Syncope, Apoplexia, Hysterica suffocatione, similibusque atrocissimis affectibus correptis, tam prompte & celeriter succurrant, ut omni pene motu carrentibus spiritibus nova activitas accedat in isto statim momento, ac olfactus organon vellicare ex improviso incipiunt.

§. 46. De Gustu testantur Aquæ Apoplecticæ, aut quævis alia acria lingvæ imposita, uti sunt Sal. com., Piper, Cinnam. acutum & alia mordacitate præedita, quæ ori intrudere pro fugandis animi deliquiis præsentibus, & avertendis imminentibus, lippi & tonsores non solum sed quævis aniculæ norunt. Imo si huc quoque vocavero ipsa medicamenta, non me à veritatis scopo aberraturum confido. Frequenter siquidem in hujusmodi subjectis, quæaversantur ea, uti sunt pene solenniter stolidi infantes, delicatulæ mulieres, imò quandoque etiam effeminati viri, statim ac gustus organum ab illis vellicatur, tumultum in spiritibus, summa segnitie prius laborantibus, eo ipso excitari, variosque irregulares motus in iis produci cernimus.

§. 47. Et sic nec circa Tactum deficiunt exempla. Quid notius est, quam deliquia animi terrore abigi? Jam *Homeri* tempore in usu fuit adspersio aquæ frigidæ, & ea adhuc hodie inter extemporanea remedia primas tenet: cui non male substituitur concussio corporis. In difficulti partu, puerperæ pusillanimis aut immorigeræ culpa exorto, jubet vulgus, ut adstantium unus Colaphum infligat misellæ, quod rusticum licet planeque barbarum remedii genus, tamen aliquando profuisse memini. Syncopizantibus & Hystericis jubent evellere crines ē locis sensatis, cum spe certissimæ exfuscitationis.

Com-

Comprobat hoc consilium *Heeric.* ab *Heer* in *obs. Med. op-*
pidorario o. 19. p. 238. experimento ebrii, pro Apoplectico
male per quatriiduum habiti, quem evulsione pilorum
mystacis coëgit Medicus, ut clamore & vibratione ar-
tuum, adhuc vivum se esse, adstantibus ac familiaribus,
declararet.

§. 48. Præter hæc, si imprimis spirituum torpor ab
inebriativis dependeat, dolor terrorq; narcosin dissipare
quandoque deprehenditur; Exempla tria ponit *Reiselius*
in Epp. Germ. D. i. A. 2., primum de cive Ottenvillano, qui
ebrius simetum ad genua illapsus, cùm pro abstergen-
dis sordibus descendisset in aquam frigidam, sublatam
eo ipso temulentiam sensit. Alterum de ebrio in fluvium
incaute delapso, periculo vitæ non minus, quam fri-
gore ex improviso circumambiente corpus, restituto: Et
tertium de juvene, cuius vulnus leve, per jocum infli-
ctum, sanguinem fundebat copiosum, unde temulen-
tus hic, metuens sibi de vitæ periculo, sobrius plane est
factus. Additur his merito cura temulentiae per Aquæ
frigidæ vel succi semperviv. maj. cū aceto & nitro mixti,
ad mammae in fœminis, & ad testes in viris applicatio-
nem, cuius curæ exemplum profert *Henr. ab Heer lib. 5*
loc. jam cit.; ut taceam testimonia alia passim à Practicis
prolata.

§. 49. Jam sequitur inquietudinis & motus irregu-
laris spirituum Cura, quam nemo facile in dubium voca-
bit, consideranscum *Pechlino* c. 3. o. 26. gaudium in puerpe-
ris novellis tota die parere oblivionem dolorum omni-
um partum præcedentium, id quod in illis quoque nota-
ri potest, quibus calculus vesicæ à Lithotomo exlectus
est. Quæ Musicæ sit efficacia, infantes docent, quibus
somnus cantilenis nutricum provocatur ordinarie, imo

& adulti idem comprobant, quorum maxime ferocientes spiritus vix citius demulcentur, quam fidium vel aliorum instrumentorum musicorum eutonia; hinc quoties Saulum Regem vexabat rabies, toties citharœdus David spiritus istos insanientes & errantes blandimentis soni reducere poterat. In aliis subjectis, metus inquietudines has compescit. Elegans exemplum proponit Ridlin. Lin. Med. A. 1. p. 283. de ebrio furente, metu sanato. Evidentiora adhuc sunt testimonia insingultus medela per terrorem, metum, gaudium, promissionem doni &c. de qua conf. Galen, lib. de Medicis facile parab. c. 31., Valerius ob. p. 162. Ridlin. Lin. med. A. 2. p. 276. & Eph. Germ. D. 2. A. 9. p. 174. it. D. 3. A. 1. o. 44. p. 61. Experiuntur quoq; hunc effectum Epileptici insultus universales, terroris sc. se submittentes, qualia facta narrant Eph. Germ. D. 2 A. 9. p. 353. 370. Barthol. C. 3. o. 41. p. 83. Binninger. o. 29.

§. 50. Ex hoc fundamento intermittentium Februm medela per animi pathemata non male deducitur. Nam cum ex plurimum Medicorum opinione harum Februm formalitas consistat in motu irregulari spirituum, liquet statim à priori, hac methodo compesci illum ex voto posse. Sed magis adhuc copia exemplorum infinita favet theoriæ huic, è quibus tamen sequentia solum apponam: Refert sc. illustris Boyleus de utilit. Pbil. Experim. Exerc. 5. p. 282. Quartanam pertinacissimam per terrorem, ex gliris prægrandis furioso insultu, esse curatum. Idein commemorant Eph. Erud. D. 1. A. 2. o. 150. D. 2. A. 3. o. 93., nempe occasionem curæ deditse bombardæ improvisam explosionem, & D. 1. A. 3. o. 150. & 211. habetur, ex immersione in aquam perterritos tertianarios esse sanatos. Plura profert Ambrosius Paræus l. 1. c. 23. Rob. finck. Ord. & meth. med. special. comp. p. 1024. Blégny Zodiac. Gall. Mens. Jan. Peclin. Obs. Phys. med. l. 3. o. 24. p. 453.

§. 51.

§. 51. Interdum ira fungitur medici vice, uti testi-
monio fulcit *Valeriola* l. 2. o. 4. p. m. 82. his verbis: Quar-
tana laborantem in vehementem iram, meo consilio à
suis conjectam, ex templo curatum vidimus, cum nullis
antea medicamentis cessisset morbus. Quod ex optato
eventu à *Borriccio* in *Act. Haffn.* & postm. à *Greulichio* imita-
tum est, & confirmatur à *Schenckio* l. 6. o. 53. T. 2. Nec
gaudio talis potestas deficit; Conringium enim aliquan-
do Tertiana decubentem, gaudio, ex colloquio cum
Meibomio, concitato, restitutum esse scribit *Pechlinus obs.*
p. 466., quo in loco idem refert, in alio Tertianario nun-
tium lætum Febrem cum Jætero feliciter sustulisse. Nec
alii affectus virtute ista destituuntur, hinc imminens nau-
fragium aliquando, alioque tempore dolor a flagellis, &
alapa inflicta excitatus, & rursum titillatio ex congressu
frequenticelebrato, febres debellasse refertur, qua ul-
timū nominata jucunditate peste laborantem fœmi-
nam aliquando restitutam esse referunt Doctores. v.
Pechlin. obs. p. 449. Meibom. de usu flagorum in re Ven., Epb.
Germ. D. 3. A. 2. o. 292. D. 2. A. 10. p. 221. D. 1. A. 10. o. 155. p. 341.
& *A. 2. o. 188. p. 286.* quibus adde, quæ *Dn. D. Georgius Hoyer*
refert de aliquot ægris ex febre ardente graviter deliran-
tibus, ac in furore isto in mare se præcipitantibus, qui
derekente ex undis in naves retracti, evaserunt omnes,
vid. Epb. Germ. D. III. a. III. o. 48. p. 55.

§. 52. Minime culpandus ero, si stupendam fiduciæ
& imaginationis efficaciam hic quoque adduxero, seu ea
sit de Medico, seu medicamento, seu alimento concepta,
semper enim ad amissæ sanitatis restitutionem sola hæc
tantum contribuit, quantum omnia reliqua instru-
menta ad salutem inducendam necessaria. Certe, nisi
Personæ Medici placeat, aut saltim non offendat, vix un-

quam medicina speratum consequi potest eventum. Hæc enim est, quæ ægrorum animum erigit, remediorumque vires multiplicat ad stuporem, ut recte hinc imperent. Doctores, tyrones ad Praxin introducentes, ne ullam licitam prætermittant occasionem, acquirendi in ægris affectum hunc, & acquisitum conservandi, exinde namque Medicorum miseriam & felicitatem pene solenniter dependere. Plures enim sanat, cui plures fidunt ægri, juxta proverbium. Hinc

Si miser est Medicus, medicamina bina venenant,
Si fortunatus, bina venena juvant.

§. 53. Non minor est vis imaginationis & fiduciæ in medicamentum, quod, ne sine exemplis ad sim, stabiliunt *Pauillini in Ephemer. Germ. D. 1. A. 2. o. 238. & Ridlin. Lin. Med. A. 1. Mens. Jul. lin. 12.*, referentes, cuidam ægroto, qui sæpius, quam opus erat, medicamenta poscebat, à Medico tres è pane similagineo formatas pilulas pro magno arcano esse exhibitas, unde maximum levamen experiebatur. Et quid multa? nonne pene solenniter apud laudabilis fortunæ, nimiu[m]que simul credulos, ægros animadvertisimus, si Medicaster aut excellens aliquis Thraso infallibilem curam polliceatur, & medicamenta singularia, h. e. Panaceas, Pilulas Universales & Polychrestas, Astra & Tincturas Solis, Q. E. Gemmar. & Margaritar. aut ipsam mortem mortis crepet, illos citius ab his sanari, quam ab aliis eruditissimis viris, qui im posturas has abhorrent. Simpliciores vero qui sunt ex ægrotantibus, fiducia simpliciori etiam sanantur. Hinc rusticus inquit *Bartholinus bist. de Paralyt. N. T. p. m. 42.* non raro schedulis devoratis curantur, quod propriis observationibus probant *Solenander S. 5. Consil. 15. §. 17. Job. Helwig. obs. med. 86. Schröckius in adjecto scholio, Deusingius in Exam. Pulv. Sympatbet. p. 65.*

§. 54. In-

§.54. Inter externa fiduciæ & imaginationis sub-
fidia merito Amuleta referto , de quibus integros tra-
ctatus ediderunt *Julius Reicheltus* & *Jac. Wolffius* : Equi-
dem de omnibus Periaptis id non dixerim , quædam
enim viribus insitis utique agunt , qualia sunt v. g. Ca-
storeum , Asa fœtida , Galbanum & similia de collo , pro
avertenda passione hysterica gestata ; ast plura longe
sunt , quorum virtus unice à phantasiæ efficacia depen-
det . Myriades exemplorum facile adjungerem asser-
to huic , nisi res ipsa pro me loqueretur : Provoco saltim
ad trochiscos illos bufoninos s. Zenexton *Helmontii* , quis
enim sibi imaginari potest , pestiferum virtus eludi posse
à ceræ frusto , recrementis bufonis imbuto ? Nec aliter
judico de Malachite , Asterite , aliisque lapidibus &
gemmais gestatis , quorum vires oppido singulares ple-
nis buccis decantant *Marbodeus Gallus* , *Albertus Ma-
gnus* , *Lovinus Lemnius* , & ex Recentioribus *Anselmus Böe-
tius à Boede* , docentes , nunc homines imperterritos , for-
tunatos , amicabiles , & nescio quales non redi , si auro
inclusæ gemmæ istæ de digito vel appensæ saltim ge-
rantur . Taceam schedulas variis characteribus si-
gnatas , colloque pro cura febrium aliorumque morbo-
rum alligatas , utpote quæ adeo clare docent veritatem
effati , ut dubitari ulterius nequeat , unicè effectum illo-
rum esse phantasiæ opus .

§. 55. Et hæc phantasiæ f. fiduciæ operatio tan-
dem se quoque exerit in desidero cibi ac potus ; do-
cet sane frequentissima experientia , cibum , quem æ gri
avide appetunt , vix nocere , sed sæpe medicamenti
vim acquirere , utut secundum regulas Medicinæ illi
morbo noxijs & contrarius vere sit . Sic multi
aquam crudam ingurgitando , haleces ad satietatem
comedendo , spiritum vini ingerendo &c. à Diarrhœis ,

Colica, febribus, debilitate stomachi, aliisque morbis se liberarunt: Exempla prostant in *Epb. Germ. D. 2. A. 5. p. 16.* in *App. A. 9. o. 53. p. 84. A. 10. o. 192. p. 370. D. 3. A. 1. o. 66.* conf. etiam *Helwig. o. 155. p. 410. Ridlin. Lin. Med. A. 3. p. 378.*

§. 56. Non aliter succurritur aliis imaginationibus stolidis, ægrorum spiritibus firmissimè impressis, puta in deliriis, similibusque dementis ideæ, ut stylo Helmontiano utar, morbis: modo enim satisfiat horum desideriis, incantamenti ad instar curatos illos observamus. Refert *Thomas à Veja in suis Comment. in Art. Med. Galeni*, quendam ex febre ardente delirantem enixe postulasse, sibi concedi in stagno illo, quod pavimentum credebat, vel momentaneam saltim immersionem & natatum, ajebat enim, se certoscire, ex illa refrigeratione corporis reconvalescentiam ipsi esse expectandam, quod evenit quoque, cum, consentiente post longas preces Medico, aliquantis per se volutasset supra Solum hypocausti. Hoc suum jus desiderium quoque exeruisse in *Quartanam*, testatur *Jägerschmid Epb. Germ. D. 3. A. 3. o. 100.* incesserat namque tali morbo laborantem juvenem cupido saltandi, quare ad nuptias illic loci forte fortuna celebratas properans, animum cupidine hac repletam exsatiat, & ab isto tempore nullum ulterius sensit paroxysmum. In furore uterino cuncta remedia alia superat coitus permisus; Mulierem producit *Panaroll. Pentec. 3. o. 9.* semper extra tempus ingravidationis libidinosissimam, & quævis fomenta lasciviæ impudicissima quærentem, donec utero gerebat, per illud enim tempus exemplar pudoris & prudentiæ erat. Aliùs fœminæ mentionem injicit *Schenkius*, quæ oestro venereo percita, omnibus pudicitiæ ruptis repagulis, quosvis ad concubitum invitabat, donec quadam nocte, à quindecim viris compressa

pressa perfecte restituta ad auroram, domum redierit: quale exemplum etiam *Bartholinus* Cent. 2. b. 67. recitat. Alia ut taceam, de aliis phantasticis ideis hoc modo expulsis, testimonia.

§. 57. Quod si vero ægrorum desideriis satisfieri nequeat, nec voti compotes reddi valeant illi, astu, dolis & strata gemitibus decepti non minus sanantur. Exempla plura felicissimi successus habet *Schenck.* l. 1. c. 253., sc. fœminam quandam putasse, ventriculo inhærere serpentinem, & rodere illum, cui Vomitorio prius exhibito, clam talis enecta bestia matulæ imponebatur, unde persvasa, eam expulsam medicamenti ope, convaluit. Vir quidam nasum se credebat habere urnæ magnitudinis, a qua imaginatione liberatus est astu Chirurgi, qui, accommodato illius naso hepate bubulo, magna frusta rescindebat, cum Euphoria ægri. *vid. Quercet. Diet. Et Polybistor. p.m. 255.* Alius cornua se gestare credens, sensit levamen, postquam capiti alligata Cervi cornua serra secarentur. Pictor imaginaria laborans ossium mollitie, teste *Tulpio obf. l. 1. c. 18.* amisit hanc insaniam, & juxta eundem l. 4. c. 53. aliis, qui cœcos se credebant, visus est restitutus, solis stratagematibus Medicis.

§. 58. Sed nimium morosos ægros duriora adhuc decent remedia, sc. vi excutiendæ sunt phantasticæ impressiones, per alias passiones ingratas, sæpiusque prioribus exaffe contrarias. Notissimum est, hominibus, ex rabio si canis morsu Hydrophobia laborantibus, metum & abominationem aquæ, plane ineffabilem inesse, adeo, ut nullo modo ejus attractum vel conspectum ferant, quin semper contremiscant cum ejulatu ac murmure, ad eam, imò ad quocunque fluidum, hinc nec salivam nec sudorem ferunt, multo minus potum assumere possunt:

hanc

hanc igitur ideam non deserunt unquam miseri hi, nisi cum summa violentia ipsis eximatur illa, quod fit terrore & metu, incusso ex submersione in aquam adeo formidatam, ut nempe nolentes sic discant, stultam istam imaginationem & formidinem aquæ fuisse. *conf. Helmont. tr. demens idea, Lister. tr. de morbis Cbron. p. 105. sq.*

§. 59. In aliis, Maniacis puta, Melancholicis, ex amore aliquaque causis insanientibus, si nihil amplius proficit, ad scuticam, virgas, ferulas, aliumque similem crudellem apparatus confugiendum est, quorum validis ictibus adiguntur, ut suam ferociam vel inviti deponant, & veniam suæ insaniae petere discant. Per antiqua non solum methodus haec medendi, sed innumeris experimentis confirmata est, ut testantur *Celius Aurelianus l. 1. Tardarum passion. C. 5. Rbasos l. 1. Contin. c. 4. Anton. Gvainerius Pract. Tr. 15. c. 8. Valescus de Taranta Philon. l. 1. c. 11. Bodinus l. 5. de Rep. & ex modernis Pechlin. C. 3. o. 22.* qui binos tales plagosos nominat Medicos, in insanorum curatione per quam celebres, quorum tanta autoritas erat apud insanos, Curæ suæ concretos, ut non solum præsente ipso ne hiscere quidem ausi fuerint, sed etiam absente illo modo nomen Magistri insonuerit, statim potuerint compesci.

§. 60. Hic terminus Disputationis hujus est. Faxit Deus ter Optimus terque Maximus, supremus Medicinæ Autor, ut cuncta hactenus à me proposita vergant imprimis in Sui Divini Nominis Gloria. Annuat porro ISTE cœptis, faciatque, ut Praxis Medica, cui me futuri temporibus destinavi, in plurimum ægrotantium solamen & refetionem cedat.